

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 807

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1361

D O G M A T I C I .

1362

no. IV. de Regno Coelorum. V. de S. Valentino Ep. et Conf. multilis, anni 1461. VI. in illud: *Quicunque vult salvis esse &c.* addito ad calcem nomine *Leon. Praxatoris.*

CCCXLVIII.

794 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 224. 8. currente calamo, non tamen eodem, partim lineis longis, partim per duas columnas exaratus, olimque e supellecili saepe dicti Sacerdotis *Bohemi Wenc. Roffae Collectanea Theologica* complectitur, quorum Rubricas edifferere sufficiet: *Equiuoca*, potius Etymologiae et Significata variorum Verborum ordine alphabeticō. Fol. 7. *Difinitiones* variae Rerum ad Theologiam pertinentium, item alphabeticae. Fol. 14. *Auctoritates Noui et veteris Testamenti sanctorum doctorum et universalis ecclesie contra Communione Infantium.* Incurrunt etiam alia Sacra menta. Citatur inter alios *Doctor evangelicus* five *Job. Wiclefus* et *Job. Huss.* Fol. 43. p. 2. *Pulcer tractatus contra Sarabitas*, qui mox adpellantur moderni valdenses discolantes per Montes et Campestria, item *Pigardi* et *Pikansiones*. Constat Testimoniis Autorum. Fol. 50. Index prolixus Locorum Biblicorum pro variis Fidei, Morumque argumentis. Fol. 159. p. 2. *Scripta que prohibent accessum communionis indigne*, cum Elencho eorum, qui in Regno Bohe-

miae et Marchionatu Moraviae a sacra Mensa arcentur. Fol. 173. *Traictatus pro Vita hac et futura Christianis necessarius.* Fanatici cujusdam de futuro Christi Regno praedicentis. Fol. 183. *Concordantie in sacras Literas alphabeticae.*

CCCXLIX.

Codex chartaceus lat. Sec. 795 XV. Folior. 217. 8. ejusdem cum praecedente rationis, illiusque velut Pars altera inscribitur: *Excerpta de tabula originalium sanctorum*, est vero Congeries quae-dam alphabetica Locorum Scripturae et SS. PP. Ascetis et Praedicatoribus opportuna, quae ab *Aaron*, *Abbas*, *Abel*, *Abraham* &c. protendit ad *Xpianus*, *Zacharias*, *Zelus*, pertinuitque pariter ad supra dictum *Roffam*.

CCCL.

Codex membranetus lat. Sec. 479 XII. Folior. 143. 4. luculente scriptus, rubricis distinctus et olim Monasterij Sancte Mariae alias Scotorum Wyenn. complectitur Sequentia: I. *Elucidarium* III. Libris distinctum, quem olim *Anselmi Cantuarien.* nomine, quod quidam Codices mfs. praferunt, primus edidit *Claud. Espenaeus Paris.* 1560. Gabr. vero *Gerberonius* in edit. Opp. *Anselmi Paris.* 1721. merito inter Spuria relegavit append. col. 457. Scriptoribus aliis in *Lanfrancum Anselmi* in Monasterio Beccensi Praeceptorem,

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 807

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1363

C O D I C E S

1364

ceptorem, aliis in *Guibertum Novigentium*, aliis in *Guil. Conventriensem Carmelitam*, aliis denique in *Honorium Augustodum*. Sec. XI. Autorem inclinantibus, in quorum numero et Codex noster est, qui inscribitur: *Incipit Prologus In Elucidarium honorij dyalogicum*; quanquam ultima duo verba non a prima manu sint, et, licet tam in Libello *de Lumina-ribus Ecclesiae* ipsius Honorii, quam apud *Tribhemium* dicatur *Honorius Elucidarium in tribus Libellis*, primum *de Christo*, secundum *de Ecclesia*, tertium *de futura vita* scripsisse, haec tamen divisio non optime congruat praesenti nostro *Elucidario*, in quo mira est Quaestionum varietas, ut recte observant etiam Autores *Hist. liter. Franciae* T. IX. p. 443. Quid quod *Elucidarii* nomen aevo praeterito pluribus lucubrationibus inditum esse in comperto sit. Rem itaque in medio relinquimus, illud adnotare contenti, Prologi initium esse: *Sepius rogatus a discipulis quasdam questiunculas endare &c.* Finem vero totius operis: *et uideas bona iberusalem omnibus diebus vite tuę. Amen.* Lectiones variae non desunt.

II. fol. 66. p. 2. *Interrogationes de Parabolis Salomonis*. Eadem prorsus, qua *Elucidarius*, methodo. Unde, si is *Honorii* sit, *Interrogationes* quoque ad illum referre par est. Tacent quidem de his cum *Honorius ipse*, tum *Tribhemius suprac.* editas tamen esse *ipius* nomine insignes

Coloniae 1540. 8. testatur *Fabri- cius Bibl. med. Lat. L. VIII. p. 280.* atque inde in *Bibliothecas PP.* receptae sunt, ut *Lugd. T. XX. p. 1140.* Quamvis vero ibi in praevia *Ant. Hierat* Lectoris Admonitione recensitae dicantur ab *Andrea Schotto* viro certe eruditissimo, destitutum tamen hunc fuisse, quod ibi candide dicitur, membranis antiquis calamo exaratis vel *Codex* hic noster palam facit. Ut enim Quaestiones illas isagogicas, quas N. seq. adtingemus, rectius *Proverbiis* seu *Parabolis* praefixerit *Schottus*, caruit tamen *Interrogationibus* aliis XV. quae proprie εὐαγγελίου in *Parabolis* constiuent, et in *Cod. nostro* praesto sunt. En earum initium: *Interr. Parabole qua lingua dicuntur?* Resp. *Greca. latina uero interpretantur similitudines.* *Interr. Quare salomon huic libro istud nomen imposuit?* Resp. *Ut per hoc demonstraret. quia non iuxta literam sed altius et spiritualiter intelligere debemus. que dicit.* *Interr. Quid significabat salomon quando per parabolas locutus est?* Resp. *Dominum ihesum christum qui per parabolas locuturus erat turbis iudeorum.* *Nam et ipso nomine suo eundem dominum ihesum christum significat. &c.* Multae praeterea per decursum *Interrogationes* cum suis *Responsis* desunt in Impressis, cumque illa in hac *Interrog.* *Iste filie quas diuitias congregarunt?* sstant, *Codex noster* pertexit totas *Parabolas* adjiciendo VI. *Interrogationes* in ultimos 2. Versus: *Fallax gratia &c.*

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 807

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1365

D O G M A T I C I .

1366

&c. et *Date ei de fructu &c.* ut adeo ex eo longe perfectior Editio instaurari posset. Id quod et de sequenti dicendum.

III. fol. 92. p. 2. absque Titulo *Interrogationes in Ecclesiasten* pariter *Honorio* adtributae et T. XX. *suprac.* p. 1148. impressae. Atque has *Codex* a Quaestionibus illis isagogicis supra memoratis: *Quot nominibus vocatus est salomon?* &c. auspicatur, quae rectius in Impressis ante *Parabolas* collocatae sunt, cum in omnia tria *Salomonis* Opera introducant, ut legenti patebit. Ceterum et hic plenior est Impressis, utque nil temere adseram, mox C. I. deest in iis Interr. *Quare dedit salomon cor suum. hoc est. sollicito corde studuit scire prudentialm &c.* C. II. deest Interr. *Quid est quod ait. uidi in omnibus uanitatem et afflictionem animi &c.* Ut vero etiam nil dissimulem, ignorat *Codex Perorationem* illam, quam Impressa p. 1153. *Ecclesiasti* subjungunt. Quanquam non huic, sed *Parabolis* subjungi debet.

IV. fol. 110. *De evangelio Sandi Johannis.* Interrogata et Responsa eadem plane ratione, ut in praecedentes V. T. Libros, ideoque ejusdem verisimiliter Autoris, qui si *Honorius Augustodun.* sit, en partum ejus omnibus, qui viri Scripta enumeraunt haec tenus, ignotum! Nisi dicas, eum innui per *Evangelia*, quae *beatus Gregorius* non exposuit, quae censentur inter ejus Opera in Lib. *de Luminarib.*

Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

Eccl. c. 17. quaeque *Tribemius* L. 1. in *Evangelia homiliarum* vocat et *Fabricius Bibl. med. lat.* L. VIII. p. 279. nusquam extare dicit. Quae tamen compellationes quomodo. Quaestionibus nostris e singulis Evangelii *Job.* Capitibus delibatis congruant, non sat video; etenim *Gregorii* etiam in *Johannem Homilias* habemus. Certiora itaque de Autore ex aliis Codicibus in lucem proferundis expectanda sunt. Interim της κατηχετεως nostrae *Johanneae* istud est initium: *Quare Beatus Johannes Evangelista dilectus Domini vocatur Discipulus?* R. *Quia multum dilexit eum dominus.* Interr. *Nunquid non et alios dilexit apostolos?* R. *Omnes quippe dilexit dominus. sicut ipse dicit. hoc est preceptum meum &c.* Et item. *Sicut dilexit me pater &c.* Interr. *Si omnes dilexit apostolos. cur ergo iohannes solus appellatur dilectus?* R. *Quia pre omnibus quos amauit illum specialiter dilexit.* Interr. *Cur illum dominus specialiter diligere uoluit?* R. *Quia sicut fertur eundem uolentem nubere de nuptiis uirginem uocauit.* Et quia illum a carnalis coniunctionis copula retraxit. idcirco eum maiori sue dilectionis priuilegio donauit. Atque sic multa de Vita, Evangelio et Symbolo *Johannis*, dum tandem ad ipsum Textum perveniatur hac Interr. *Quomodo hereticorum destruxit errorem?* R. *Fuerunt enim quidam heretici qui dicebant. si natus est christus ergo erat tempus quando ipse non erat.* Hos primo sermo-

L

ne

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 807

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1367

C O D I C E S

1368

ne redarguit dicens. In principio erat uerbum &c. Interrogationes ultimae sunt, quid per sublimitatem, latitudinem, longitudinem et profunditatem crucis significetur, quibus subscriptum: Explicit Liber Sancti Johannis Evangeliste.

V. fol. 138. *De Evangelio Sancti Mathei.* Tractatio superiori gemina, nisi, quod nulla habeat περιέγομενα, et statim Texatum ipsum sic aggrediatur: *Quare Beatus Matheus nullam sanctorum feminarum in genealogia Domini posuit, nisi eas quas sacra reprobendit scriptura. uidelicet thamar. raab. ruth. atque betsabee? Thamar namque reprobendit de socierno concubitu. Raab uero quia bierechontina meretrix fuit. Ruth moabites. adultera betsabee. R. Sanctus euangelista matheus ideo bas mulieres in genealogia domini descripsit. ut per hoc demonstraret quia dominus propter peccatores de celis ad terras descendit &c. Brevisior multo est haec Matthaei De floratio praecedente, fortasse tamen non integra in Codice; definit enim in hanc Interr. Quid interpretatur barabbas? Autorem in PP. lectione perquam versatum fuisse liquet, quamvis rarissime quenquam illorum nominatim excitet.*

CCCLI.

859 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 99. 12. bene scriptus et rubricis enotatus, olimque canonicorum regularium prope mu-

ros ciuitatis nuffenfis titulum praefert: *Incipit prologus Elucidarij.* Aliud Exemplum dedimus Cod. praeced. ubi prolixus hic de omnibus Fidei Capitibus Dialogus Honorio, certe Augustodunensi, tribuitur. Initium Prologi, ut ibi: *Sepius rogatus a condiscipulis (discipulis?) quasdam questiunculas enodare &c. Initium ipsius colloquii: Gloriose magister rogo ut ad inquisita michi ne pigriteris respondere &c. Per decursum literis miniatis Autores quidam notantur, e quibus responsa promxit Elucidator; ita Ambrosius de animalibus, Jeronimus de coniugibus, Origenes de gradibus, Eucharius de morte christi, Isidorus de Vit. Immod. Beda de infirmis et de antichristo.*

Fol. 68. *Incipit liber III. de futura uita, quamvis antecedenter nec I. nec II. indicetur. Extrema sunt: et uideas bona bierusalem omnibus diebus uite tuę. M. (Magister) Amen amen amen. Cetera Cod. supra cit. expedita sunt.*

CCCLII.

Codex chartaceus lat. Sec. 17^a XVI. Folior. 107. f. eleganter exaratus sine Autoris nomine hunc titulum praefert: *Confessio Fidei et doctrinæ sancte Catholicae et Apostolicæ Ecclesie Dei, circa præcipuos saltem articulos, quos Christi fideli populo pie et simpliciter proponi eidemque credere et scire expedit ac plane sufficiat. Pro indocto Clero et simplici*